

**Dissertatio inauguralis chirurgico-medica de prolapsu ex ano ... / auctor
Gotthelf Friedrich Iordan.**

Contributors

Jordan, Gotthelf Friedrich.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Gottingae : Typis Joann. Christ. Dieterich, [1793]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/jawgtnpa>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

43.

D E

PROLAPSV EX ANO.



Digitized by the Internet Archive
in 2015

<https://archive.org/details/b22377414>

DISSERTATIO INAUGVRALIS
CHIRVRGICO - MEDICA

DE

PROLAPSV EX ANO

QVAM

ILLVSTRIS MEDICORVM ORDINIS
CONSENSV ET AVCTORITATE

IN

ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

PRO

GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE

IN

MEDICINA ET CHIRVRGIA
HONORIBVS

AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQVENDIS

ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

DIE XXX. NOVEMBRIS ANNI MDCCXCIII

AVCTOR

GOTTHELF FRIEDRICH IORDAN

GOTTINGENSIS

SOCIET. PHYS. PRIVAT. GOTTING. ORDINARIVS.

GOTTINGAE

TYPIS JOANN. CHRIST. DIETERICH.



*Non post rationem medicina inuenta; sed
post inuentam medicinam ratio est quaesita.*

CELSUS in praefat.

I N C L Y T A E L I B E R A E

SACRI ROMANI IMPERII

REIPUBLICAE FRANCOFVRTENSIS

S E N A T V I

SPLENDIDISSIMO AMPLISSIMO

V I R I S

MAGNIFICIS, PERILLVSTRIBVS,

EXCELLENTISSIMIS, CONSVLTISSIMIS

PATRIAE PATRIBVS

FAVTOBIBVS INDVLGENTISSIMIS

HASCE STVDIORVM PRIMITIAS

OMNI QVA PAR EST PIETATE

SACRAS ESSE VOLVIT

TANTORVM NOMINVM

CVLTOB OBSERVANTISSIMVS

AVCTOR.

D E

PROLAPSV EX ANO.

§. I.

Molestus ille affectus, quo intestinum aut eius pars per anum transit

Latine dicitur: Prolapsus seu procidentia ani ¹⁾).

— — — podicis ²⁾).

— — — intestini recti ³⁾).

Graece: Προπτωσης του ἀρχου ⁴⁾.)

Gallice:

¹⁾ *Fasciculi pathologici* autore J. B. MONTEGGIA. Mediol. 1789. p. 105.

²⁾ J. C. SEMMEDI *Obs. aegritud. fere incurab. Vlyssip. occ.* 1740.

³⁾ DE SAUVAGES *Nosol. method.* Amst. 1763. Tom. 2. pag. 101.

⁴⁾ HIPPOCRATES *Lib. de fistulis* in edit. VAN DER LINDEN p. 686.

Gallice: Chute du siège ⁵).

— — rectum ⁶).

— — fondement ⁷).

— de l'anūs ⁸).

Renversement du rectum ⁹).

Descente de l'anūs ¹⁰).

L'anūs tombé ¹¹).

Hernie de l'anūs ou du siège ¹²).

Anglice: Prolapsus ani ¹³).

Germanice: *Vorfall, Vorscheissen, Aus-schiessen, Austreten des Mast-darms, des Afters, des Hintern, des Leibes* ¹⁴).

§. 2.

⁵) *Traité des maladies chirurg., et des operations qui leur conviennent*, par M. M. CHOPART et DES-SAULT. Paris 1779. Tom. 2. p. 341.

⁶) *Traité des bandages herniaires* par M. JUVILLE. Paris 1786. p. 174.

⁷) DE SAUVAGES l. et p. cit.

⁸) *Celandre ou traité nouveau des decentes*, par BERENGER. Paris 1695.

⁹) JUVILLE l. et p. cit. ¹⁰) BERENGER l. et p. cit.

¹¹) *Abregé de toute la médecine pratique*, par M. ALLEN. Paris 1728. T. II. C. XII. art. 97. p. 336.

¹²) BERENGER l. et p. cit.

¹³) B. GOOCH *Cases and practical remarks in Surgery*. Norwich. 1767. Vol. 2. p. 156.

¹⁴) *Abh. des HIPPOCR., CELSUS und PAULS von AEGINA über die Fisteln und Vorfälle des Afters, Uebers. und mit Anm. und Beob. von P. CAMPER*. Leipz. 1781.

§. 2.

Melius et accommodatius esset, monente Ill. RICHTERO, *Praeceptore et Fautore* mihi summe colendo, huic affectui nomen procidentiae ex ano (*Vorfall aus den After*) tribuere, quum et alias partes, quam intestinum rectum, seu anum, id est extremam intestini recti partem, procidere videamus. Nonnunquam enim intestini tantum partes, aut alia intestina quam rectum, descendunt; sic quandoque, DESSAULT et CHOPART ¹⁵⁾ testibus, colon procidit; et VOLKAMMER ¹⁶⁾ et MURALTUS ¹⁷⁾ procidentiam longitudine vlnae videbant, quae rectum intestinum valde superat.

§. 3.

HIPPOCRATES multa eademque optima iam de hoc affectu in *libro de Fistulis* dixit; sed incrementum, quod chirurgia inde ab huius viri temporibus usque ad praeteriti saeculi finem cepit, non magni momenti esse, praecipue haec chirurgiae pars mihi tractanda, testis est; etsi in omnibus paene huius temporis libris de medicina practica, aut chirurgia ani prolapsus nominatur. Ne itaque Lector

A 2

mire-

¹⁵⁾ L. c. p. 342. et SALMUTH *Obs. medic.* Cent. I.

¹⁶⁾ STAHL *Coll. casuale magnum.* Cas. LXVI.

¹⁷⁾ *Nouveau dictionnaire de James.* T. 2. p. 103.

miretur de paucitate auctoritatum huius temporis; generales quasdam sententias haud satis probabiles, afferam, quas fere omnes sunt secuti.

§. 4.

Quidquid proferunt de hoc morbo, consistit in singulis observationibus, quae causam morbi semper refrigerium locale intestini esse probant¹⁸⁾; sedebat e. g. aliquis in lapide frigidus; aluum exonerabat in via, hyemis tempore; permeabat per aquam frigidam, aut anus alio modo frigore afficiebatur. Sed refrigerium causa huius affectus occasionalis certe rarissime; praedisponens numquam est; cum intestina frigus optime ferant; praedispositio illa facillime auferatur; et denique, si esset, copiosiores prolapsus videre deberemus, cum frigus ad anum saepissime admittatur. Praeterea raro quis de causa proxima loquitur; et illi, qui talem nominant, saepe effectum pro causa proxima habent. Sic multi relaxationi mesocoli et mesorecti hoc nomen tribuunt, quae tamen nil nisi sequela descensus est. Remedia laudant saepe nullius effectus,

¹⁸⁾ SENNERT *Medicina practica*. P. II. Sect. I. Cap. VII. — BURNET *Thesaurus medicinae practicae*. Genev. 1678. Sect. 28 et 29. — RIEDLINI *Observationum medicarum centuria*. Aug. Vind. 1682. Obs. L.

effectus; saepe vero etiam vehementer irritantia in prolapsum irritatum. Sic quidam suadent, prolapsum inflammatum puluere piperis, seu sinapi conspergere; alii a remedio optimos videntes effectus, tantum morbum nominabant; nihil de veris causis, specie, statu, aetate aegroti et caeteris dicentes. De repositione, vincturis, operationibus ¹⁹⁾ denique quod dicunt, exiguum est. Summam vero praebet voluptatem lectio scriptorum MORGAGNI ²⁰⁾, BERTRANDI ²¹⁾, DESSAULT et CHOPART ²²⁾, GOOCH ²³⁾, JUVILLE ²⁴⁾, CAMPER ²⁵⁾, LEVRET ²⁶⁾, SABATIER ²⁷⁾, SCHACHER ²⁸⁾, et MONRO ²⁹⁾, qui praestantissimi viri, vt de reliquis, ita praecipue de hoc affectu, quae dixerint, summam merentur gratiam.

A 3

§. 5.

¹⁹⁾ BERENGER l. c. p. 118 dicit: "*Le fer est le seul et unique remede que l'on peut employer utilement.*"

²⁰⁾ *De sedibus et caussis morborum.* Tom. III. Epist. 33.

²¹⁾ *Abh. von den Geschwülsten. Aus d. Ital. von SPOHR.* p. 640.

²²⁾ ²³⁾ ²⁴⁾ ²⁵⁾ Loc. cit.

²⁶⁾ *Traité des polypes.*

²⁷⁾ *Memoires de l'acad. de Chirurg.*

²⁸⁾ *De morbis a situ intest. praetern.* Lips. 1721.

²⁹⁾ *Physical essays.* Edinb. 1756. Vol. 2. art. 27.

§. 5.

DIAGNOSIS in genere facillima est, cum ille affectus statim visu et tactu deprehendatur; nisi ab imperitis cum quibusdam similibus perperam confundatur. Maximam eius similitudinem cum diuersis haemorrhoidum coecarum speciebus, praesertim cum saccatis, si accuratius perlustremus, non tantum similem, sed aliquo modo speciem esse videbimus. In haemorrhoidibus enim coecis tunica interna intestini recti, sanguine extrauasato diuersis locis in saccum distenta foras expellitur, si alius exoneratur; quod idem fit in procidentia ex ano partiali. Similitudinem itaque prolapsus ex ano partialis cum haemorrhoidibus coecis concedere; summo contra iure has ita extentas, vt foras propendeant, procidentiam partialem nominare licet.

§. 6.

Alia ratio est *polypi* ad externa continuati; hic enim non est prolapsus, sed ex-crescentia ex tunica intima intestini recti, quae maiore incremento proueniens externe conspicitur. Signa, quibus a prolapsu discernitur, sunt: basis polypi plerumque tenuis, tactu similis massae solidae, mollis; color roseus ruber; apex plerumque inaequalis, gallicristae formam mentiens.

§. 7.

§. 7.

Maxima *analogia* inter prolapsum ex ano, et vaginae intercedit, tam respectu caussarum, quam etiam specierum, a LEVRETO ³⁰⁾ fuse pertractarum.

§. 8.

DECURSUS morbi raro idem est; variat enim respectu aetatis, caussarum, conditionis corporis, speciei, status et aliarum circumstantiarum; nec eadem, qua propendet, *forma* semper esse potest; cum quisque status, quo inuenimus procidentiam, et quaeque species, aliam referat; in genere tamen illam bursulae aut farciminis simulat ³¹⁾).

§. 9.

PRAEDISPONUNT ad hunc morbum tempora aetatis, quibus solida laxa inueniuntur; puerilis et senilis ³²⁾: deinde laxis solidorum status, per omne vitae tempus, morbis aut vitae genere debilitante, acquisitus. Partes vero, affectui huic expositae, intestina crassa scilicet

A 4

cet

³⁰⁾ Loc. cit. p. 168.

³¹⁾ GAUBII *pathologia* p. 124. et *Précis de chirurgie pratique* par M. P** M. Paris 1768. Chap. IX. p. 668.

³²⁾ DESSAULT et CHOPORT l. c. p. 341. — *Der engl. Kinderarzt*. Leipz. 1786. p. 246. — ADELUNG *D. de prolapsu int. recti*. Halae 1740. p. 13.

cet et ani muscoli, topice absque reliqui corporis debilitate, sequentibus praecipue caussis relaxantur, iisque ad hunc morbum praedisponuntur:

- a) Sessione diuturna in sella perforata; quod in infantibus praecipue fit.
- b) Alui fluxibus, dysenteria, haemorrhoidibus, quae praecipue ad prolapsum tunicae internae praedisponunt; ascaridibus, qui irritantes perpetuum humorum adfluxum movent, quo membrarum intestini laxitas ortum ducit.

c) Caussis, quibus paralysis oriri potest³³⁾.

8)

³³⁾ Sequens observatio mihi argumento est, paralysis partium, quibus hic morbus superuenire potest, solummodo causam praedisponentem esse posse; nec ea sola, ut legimus, oriri procidentiam, nisi accedat causa occasio-
nalis. Cum clinicas exercitationes Ill. STROMEYER, *Praeceptoris* et *Fautoris* semper colendi, frequentarem, aegrotus ab eo mihi benevole offerabatur quinquagenarius, olim miles et antea spirituosus deditus, paralysi partium inferiorum, a materia arthritica, orta, et cum vesicae urinae paralysi coniuncta, laborans, ita ut urina perpetuo, sed guttatim cum doloribus efflueret. Urina ipsa sanguine et magni mucicopia mixta, complicationem cum haemorrhoidibus

d) Vsu externo rerum debilitantium, vt
A 5 enemati-

bus vesicae ostendebat; etsi numquam quidquam ab haemorrhoidibus intestini recti passus erat. Infarctus viscerum abdominalium causam evolutionis materiae arthriticae, et eius sequelarum fuisse, indicabant vitae genus ante actum; color faciei flauus; alui depositio fere semper quarto quoque tantum die sequens; durities et color faecum niger etc. Porrigebantur itaque resoluentia, et ob corporis habitum siccum quidem, refrigerantia cum leniter excitantibus mixta; sed sine magno effectu. Alui obstructio postea, nonnumquam per decem dies durans, nullis remediis, nisi tonicis, cortice scilicet peruiano, cum crystallis tartari mixto, tollebatur. Inferiores partes et regiones, ad vesicam urinariam proximae, tinctura cantharidum saepe madescebant, sine vlllo effectu. Paralysis semper plus ad superiora tendebat, et ad crassa intestina, praecipue ad rectum, et ani musculos, ita vt faeces, si crassa attingebant intestina, sine vlllo sensu aegroti exciderent. Nunc vt certius excitaretur, accipiebat infusum *Mari veri*, summitatum *Arnicae* et radicis *Valerianae sylvestris*, quae nonnumquam utilitatem, tamen non perdurantem, praebere videbantur. Hic status paene per sex hebdomades perdurabat; quibus finitis, febris et gangraena partium, paralyti affectarum, accedentes, aegrotum interficiebant. *In hoc aegroto summam adfuisse ad procidentiam ex ano praedispotionem, quis negabit? Causa occasionalis,*

enematibus et balneis vaporis, numero et calore incaute adhibitis ³⁴).

- e) Vulneribus musculorum ani, quae ad procidentiam cum omnibus tunicis praedisponunt.

Num denique et hereditaria dispositio adesse possit? — Certi quid de hac re dicere non audeo.

§. 10.

Ex sola ad hunc morbum praedispositione prolapsus non potest oriri, nisi CAUSSAE OCCASIONALES accedant, quarum numerus permagnus est. Semper vero est *irritamentum*, siue sit *mechanicum*, *sanguineum*, *metastaticum*, *consensuale*, seu solummodo *nisus*. Ad *mechanica* refero,

- a) *ascarides*, qui corpus ad prolapsum disponere, et postea etiam causa fieri possunt, cur intestinum, aut eius pars ab iisdem debilitata, irritamento, quod exserunt, procidat ³⁵).

b)

pressio scilicet in expellendis faecibus, primo praesens, accedente causa praedisponente, tollatur.

³⁴) M. P** M. l. c. p. 668. et *engl. Kinderarzt* p. 264.

³⁵) M. P** M. l. c. p. 668. — ADELUNG p. 9. —

DESSAULT et CHOPART p. 341.

- b) *Remoram* faecum duriorum in crassis intestinis; et *purgantia fortia*, his expellendis imprudenter data, omissis solventibus, humectantibus et anodynis ³⁶).
- c) *Ulcera et fistulas* ³⁷).
- d) *Irritamenta* intestino recto *externe* applicata; vt suppositoria et pulueres ex acribus; enemata, vi irritante sua, calorisque vehementia intestinum stimulantia ³⁸); item intrusionem corporis duri in anum; vsum chartae, post alui exonerationem, quae circumuoluta erat stimulantibus, veluti piperi, tabaco et aliis ³⁹).

§. II.

Caussarum *sanguinearum* frequentissima observantur:

- a) *Haemorrhoides*, et praecipue coecae ⁴⁰).
Irritamentum hocce moliminum haemorrhoidalium circa anum tam vehemens est,

³⁶) DESSAULT et CHOPART l. c. — ADELUNG p. 14.
Der engl. Kinderarzt p. 264.

³⁷) M. P** M. l. c.

³⁸) LEVRET p. 169. l. c. de duobus loquitur, quibus eodem tempore intestinum descenderit, cum antea iis vnum enema percalidum datum esset.

³⁹) ADELUNG l. c. p. 14. — STAHL l. c. Casus LXVI.

⁴⁰) DESSAULT et CHOPART l. c. p. 341. — ADELUNG l. c. p. 15 et 17.

est, ut profecto persuasus sum, semper, iis praesentibus, oriri debere prolapsum, si tantum semper adsit praedispositio. Raro credo eas alius speciei esse causam, quam illius tunicae internae totalis et partialis; cum impetu sanguinis vasa extensa internam tunicam ab aliis separent.

- b) *Anomalia fluxus menstrui* iam rarior observatur causa. Et i vero nullam inveni observationem de prolapsu ex ano, ex vitiis fluxus menstrui ⁴¹); tamen persuasus sum, nonnumquam sanguinem, si e naturalibus viis effluere impediatur, tendere ad intestina crassa, si harum partes debilitatae sunt; eodem modo haemoptysin, vomitum cruentum etc. ex hac causa videmus.

§. 12.

Inter *metastatica*, *rheumatismum* copiosissime ad crassa intestina transire, ibique tenesimum,

- ⁴¹) Ne mendax videar; observationem LEVRET nolo praeterire l. c. p. 172. descriptam, quae tamen in dubium vocari potest, num ad hanc classem possit referri. Femina scilicet, cuius menses trigesimo quinto anno cessabant, statim ab hoc tempore, procidentia ex ano corripiebatur frigida, qua, per totam vitam, vexabatur. Sexagesimo demum anno inflammatione cum haemorrhagia accedente, necabatur.

nesmum, vt in dysenteria ⁴²⁾, mouere videmus. Sed et aliae, quamquam raro, acrimoniae per metastasin ad intestina deferuntur; quae irritando intestina crassa, et ani musculos ad maiorem, quam necesse est, actuositatem ferunt. Sic STAHLIUS ⁴³⁾ ex depositione materiae venereae prolapsus ex ano obseruauit.

§. 13.

Omnia praeterea irritamenta, in vicinia intestinorum crassorum agentia, *per consensum* inferiorem intestinorum partem, ad motus tam vehementes irritare possunt, vt exinde oriatur prolapsus. Praecipuum et frequentissimum huius generis irritamentum, calculus, seu vlcus vesicae vrinariae est ⁴⁴⁾.

§. 14.

Vltimam denique caussarum occasionalium classem, omnes *nisus et conatus* ⁴⁵⁾, in intestinum rectum agentes, explent; quo pertinet clamor et fletus magnus; tussis, praecipue

⁴²⁾ DESSAULT p. 341. — SENNERT P. II. Sect. I. Cap. VII. — LANGII *opera omnia medica*, Lips. 1704. Pars II. p. 29.

⁴³⁾ Loc. cit.

⁴⁴⁾ M. P** M. I. c. p. 668. — DESSAULT p. 341.

⁴⁵⁾ STAHL I. c. Casus LXVI.

pue conuulsiva ⁴⁶); nisus in parturiendo ⁴⁷); in aluo exoneranda etc.

§. 15.

Varias vero etiam SPECIES procidentiae ex ano agnoscere debemus, non solum ut eas sciamus; sed potius eo consilio, ut apta remedia admoveamus, cum quaeque species fere aliam agendi methodum requirat. Antiquiores, qui de hoc malo scripserunt, in genere tantum remedia contra hunc morbum laudant, nescientes, quaedam remedia in quibusdam prolapsus speciebus, summo esse posse detrimento. Sic quidam generatim mo-
nient, prolapsam partem rescindendam, quod nullo modo in prolapsu totali locum habere potest. Alii e contrario, qui forsan prolapsum nullius momenti videbant, remedio, quod in hoc casu auxilio erat, generatim summos tribuunt virtutes, et alios seducunt, qui omissione peccant. Neminem curabis externo usu emollientium solummodo, prolapsu vehementer, inflammato, tumido, cum febre laborantem.

§. 16.

⁴⁶) HOFFMANN *Opera omnia* Tom. 3. Sect. 2. Cap. 3.

— ARAND *Observat. medico-chirurg.* p. 45.

⁴⁷) SENNERT l. c. — SCHACHER l. c. §. 4. — LANGIUS l. c.

§. 16.

MORGAGNI, MONRO, BERTRANDI, DESSAULT et CHOPART, et SCHACHER primi fuerunt, qui classificationem cum bono successu literis mandarent; quorum vero nullus tanto ingenii acumine, quanto Ill. RICHTER species chirurgis et medicis summa vtilitate constituit, quas in praelectionibus de chirurgia nobiscum beneuole communicauit. Species itaque, quas deinceps laudabo, VIRIS illis meritis, et praecipue Huic, vnice me debere, ingenue fateor.

§. 17.

Iam replet *prolapsus proprie sic dictus intestini recti, si cum omnibus membranis elabatur*⁴⁸⁾. Quamquam multi dubitarunt, num eiusmodi procidentia reuera oriri possit; tamen extra dubium positum est, penitus elabi posse, et quidem frequentissime sub partu. Antequam vero rationes, veritatem probantes, asseram, aptum mihi esse videtur, eos, qui de iis dubitant, nominare. Et LEVRET⁴⁹⁾ quidem SABATIER⁵⁰⁾, ADELUNG⁵¹⁾, WINSLOW⁵²⁾, et JUNKER⁵³⁾ huic opinioni praecipue fauent, illamque praecipue arctissimo connexu cum
partibus

⁴⁸⁾ DESSAULT et CHOPART l. c. p. 341.

⁴⁹⁾ L. c. p. 169.

⁵⁰⁾ ⁵¹⁾ Loc. cit.

⁵²⁾ LEVRET l. c.

⁵³⁾ *Conspect. medicin.* Tab. 110.

partibus vicinis demonstrare student. ADELUNG dicit: "*Intestinum rectum, posteriori parte, ossi sacro et coccygis adnecti; anteriori in viris, vesicae collo; in feminis vaginae uteri admodum arcte, ut inter se implicatae fibrae vix separari queant. Neque concipi posse, quomodo aliqui perhibeant, quod ex ano procidat, non nisi tunicas esse; cum vix cultri ope, et circumspectissima manu eiusmodi separationem impertrare liceat.*" addit denique: "*mihi, illam talem fieri non posse, plane persuasum est* ⁵⁴).". LEVRET credit, hanc speciem non existere posse, praecipue ob vehementem mesocoli et mesorecti resistentiam; et denique de totali inuersione intestini, tantae longitudinis, etsi adsunt observationes, valde dubitat.

§. 17.

Iam vero accedam ad rationes, quae revera probant, intestina cum omnibus tunicis prolabi posse:

Imum, quod attinet ad firmum nexum, quo iunctum dicunt intestinum rectum cum partibus vicinis; nego eum tam arctum esse, ut ne vehementia causarum, prolapsum mouentium, possit auelli. Cum enim in prolapsu uteri, hic
ab

⁵⁴) ADELUNG l. c. p. II.

ab intestino recto separetur; non intelligo, cur non eodem modo in prolapsu intestini recti, hoc ab vtero possit auelli; eadem ratio est connexus in viris cum vesica vrinaria; quam eandem nonnumquam auulsam, obseruarunt. Altera vero connexio multo laxior, cum illa extra dubium posita sit, multo adhuc facilius solui potest. Analogia etiam si in computum venit, docet, vaginam eodem arcto nexu, ac rectum cum vtero combinatum, post fluorem album pertinacem haud raro prolabi.

2^{do} praecipue LEVBET assert: mesocolon et mesorectum, ne magnus prolapsus oria-
tur, vi resistere; cui sat videtur opposuisse observationem, a MONRO descrip-
tam: ADAMUS DRUMMOND, cum puerum, prolapsu quatuor pollicum pertinaci mor-
tuum, secaret, intestinum cum omnibus
membranis inuersum videbat, et sub su-
periore parte flexurae sigmoideae coli,
mesocolon abruptum ⁵⁵).

3. Non credo, solam membranam intesti-
norum internam ad crassitiem duorum
pollicum inflammatione posse perducì;
quod

⁵⁵) MONRO l. c. p. 358.

quod in observatione a me descripta, tamen locum habet.

4. Multo minus credibilis mihi videtur extensio tunicae internaе ad vlnae etc. longitudinem, quam retrouersio totius intestini.

Sufficiant haec contra dubitantes dixisse.

§. 18.

Nunc me conuertam ad *signa*, quibus haec prolapsus species ab aliis distinguatur. Primum signum, in feminis tantum perspicuum, est dislocatio et amissa firmitas partium, quibus intestinum antea adnexum erat, vteri nempe et vaginae, quod exploratione per vaginam animaduertitur. Interstitium deinde intercedens inter extremam ani et recti partem, carens, satis hanc ab intussusceptione distinguit; cui addere possumus absentiam nauseae, vomituritionis, alui obstructionis et doloris in ventre; quae omnia intussusceptionem semper antecedunt. Ambitu denique et longitudine alias species valde superans, a tunicae internaе totali procidentia distinguitur. De prolapsu intestinorum cum omnibus tunicis partiali dubito; nihil quidem de eo audiui aut legi.

§. 19.

Idam speciem efficit *intussusceptio* ⁵⁶⁾.

a) *Totalis*. Intestinum rectum in tota longitudine in situ suo manet, et colon, seu ileum praeterit illud et procidit per anum; aut inferior tantum pars intestini recti immutata abit, cum superior pars aut sola, aut cum colo etc. descendat. Huic fere semper antea iam nominata symptomata antecedunt, vt nausea, dolor ventris etc.

b) *Tunicae internae*.

Vterque cognoscuntur ortu subito, et interuallo, inter rectum et partem prolapsam intercedente; hic vero ab illo, tenuitate.

§. 20.

Illia continet prolapsum *tunicae internae*.

a) *Totalis*. Extrema tunicae internae portio in toto ambitu cum maiore vel minore parte superiore elabitur. Agnoscitur in feminis, firmitate et loco naturali, quo vterus et vagina gaudent; in utroque sexu, tenuitate partis propendentis, et carente interstitio inter anum et partem prolapsam; praeterea numquam longitudine maiore videtur, quam duorum pol-

B 2

licum;

⁵⁶⁾ DESSAULT et CHOPART l. c.

licum; semper procidit si desidet aegrotus, et oritur lente.

- b) *Partialis*. Caussae, si tantum in partem membranae internae agunt, ibi faciunt relaxationem et extensionem in vno latere tantum; mox in superiore intestini recti parte, mox ad finem. Animaduertitur primum signis, in totali tunicae internae procidentia laudatis; accedente vero spatio, extra adhaesionem, illi carente; deinde etiam hic adesse nequit foramen in extrema prolapsus parte; intestini scilicet, omnibus reliquis praesens; forma denique etiam ab aliis diversa est, cum haec semper fere pyriformis esse debeat. Si haemorrhoides externae conspicuae, quas huc refero, caussaverunt hunc affectum, plures eiusmodi parui prolapsus vna adesse possunt.

§. 21.

Potest esse prolapsus aut *recens*, id est prima vice elapsus et non habitualis factus; aut *inueteratus*, *habitualis*; quo ultimo quam maxime vexatur aeger: prolabitur enim semper, praecipue si aluum demittit; si longum temporis interuallum stans peragit; et, ut brevibus complectar, quolibet nisu et contentione. Etsi etiam crebram et molestam repositio-

sitionem non curet aeger; tamen semper anxius esse debet, ne prolapsus frictione, aere externo, aut aliis irritamentis inflammari possit ⁵⁷).

§. 22.

Omnes prolapsus in *statu* aut *non inflammato*; aut *plus vel minus inflammato* inuenimus. Ille paene nulla; hic vero multa et saepe mala habet symptomata. Nonnumquam inflammatio levis animaduertitur, cum intestina melius, quam aliae humani corporis partes, aeris accessum et alia irritamenta ferant. Quodsi vero constrictio, tumor et inflammatio vehementes sunt, sequela triplex est: 1. Partes prolapsae non possunt reponi; exinde, 2do transitu flatuum et alui impedito, oritur alui obstructio pertinacissima, et huius sequelae. 3. Reditus sanguinis, ob laxam venarum structuram impeditus, inflammationem auget, et gangraenam, quae nonnumquam in abdomen producit, mouet. Decursus inflammati fere semper hic est: Primum oritur dolor; inflammatio in ani con-

B 3

stricti

⁵⁷) Etsi SCHENKIUS l. c. p. 692. vidisse se affirmat plures feminas, prolapsu laborantes perpetuo, quem numquam reponerent, et a quo, etsi omnia sua negotia agerent, nullam molestiam sentirent; tamen nemini suaderem sine cura negligere eiusmodi affectum.

stricti regione; qui demum protrahitur ad totum prolapsus ambitum, et hic coniunctus cum tumore ad abdomen transit: aegroto, anxietate et inquietudine summa affecto, superuenit febris inflammatoriae indolis, ob alui obstructionem plerumque cum gastrica complicata; pulsus antea plenus et durus, fit parvus, suppressus et contractus; externa frigent; frons sudore frigido madet; et nisi mox succurratur, accedit gangraena partis prolapsae et partium in abdomine contentarum, et denique mors. Symptomata et decursus maximam habent similitudinem cum illis herniae incarceratae ⁵⁸⁾, et etiam habere debent; nam in ambobus intestinum incarceratum est; diversa tantum in eo sunt, quod incarceratio non eodem loco sedem habet.

§. 23.

PROGNOSIS maxime dependet ab aetate ⁵⁹⁾; constitutione corporis aegroti; praeterea a specie et stadio prolapsus; porro a caussis plus vel minus facile remouendis; et denique symptomata morbum comitantia magni momenti sunt in exitu praesagiendo. Sic non
feren-

⁵⁸⁾ RICHTER *Abh. von den Brüchen.* p. 96.

⁵⁹⁾ SENNERT. l. c. 3. 2. 1. 7. dicit: difficilius hoc malum curatur in senibus quam in iuuenibus. —
DESSAULT et CHOPART l. c. p. 342.

ferendum est, prolapsus, pueris superuenientem, habitualem fieri; cum primum vis muscularis in iis semper augeatur; deinde quia peluis, intercedente tempore, amplior redita, intestina facilius comprehendere potest; praeterea plica, quae in intestino formatur, impedit, quo minus illud iterum procidat; et denique, faecum retentione, saepe per diu protracta, extrema recti pars intus extenditur in saccum, qui etiam procidentiae resistit ⁶⁰). Nec tam multum timendum est in pueris ⁶¹), cum valde raro inflammato corripiantur prolapsu; quippe cum careant quibusdam caussis, quae facile inflammatum mouent, praecipue sanguineis. In adultis prognosis iam peior est; in senibus pessima ⁶²). Corpus laxum non facile superuenit incarcerationio et inflammatio, sed potius in hoc habitualis remanebit; cum e contrario in corpore, quod magna irritabilitate et fibrarum strictura gaudet, inflammatio et strangulatio maximum attingant gradum. Caeteris paribus, prolapsus tunicae internae totalis et partialis omnium minimum periculum habet, quia operationem admittit; plus minatur illa species cum omnibus tuni-

B 4

cis

⁶⁰) CAMPER l. c. p. 85. et. 86.

⁶¹) ⁶²) DESSAULT et CHOPART l. c. p. 343.

cis ⁶³), et omnium pessima est intussusceptio; quae si malis symptomatibus complicata est, ut gangraena; fere semper lethalis abit, etsi reducta est. Ratione stadii morbi; sane incertus haereo, num melius sit, leniter inflammatum, aut prorsus non inflammatum, habituale. In prolapsu enim habituali cura radicalis paucissimis in casibus locum habet; quae tamen multo melius instituitur, cum intestinum leui cum inflammatione repositum, adhuc cum partibus quibus antea adnexum erat, adnasci possit. Putredo et gangraena accidens non semper lethalis est, cum tunicas cylindricas, gangraena effectas, post repositionem prolapsus inflammati vna cum faecibus abire videamus. Egregium est si praedispositio nulla, aut tantum exigua adest. In caussis occasionalibus mechanicae et sanguineae, saepe facile abigendae, aut mitigandae, optimae sunt.

§. 24.

In rebus optandis magis quam efficiendis
 CURATIO mali huius molestissimi vltimum sane locum non tenet; et quamquam
 maximi

⁶³) SENNERT l. c. dicit: "*Omniū prolapsuum periculosissima, et quae vix curatur, ani proidentia est, quae accidit ob anulsionem intestini recti a membranis, quibus retinetur.*"

maximi et medici et chirurgi in eo curando laborarunt; tamen raro penitus sustulerunt, plerique, ad tempus modo mitigarunt. Chirurgi et medici igitur esse videtur, primum radicali curationi operam dare; sed ea non feliciter procendente, de palliativa demum cogitare.

§. 25.

Indicationes, si radicalem curationem instituere conamur, multum ab aliorum morborum indicationibus differunt; cum caussali aliae anteire debeant, et caussis remotis, remaneat prolapsus. In genere prima indicatio haec est, ut procidentia reponatur; salvis tamen contraindicationibus, quae §. 26. de repositione, nominantur. Secunda occupata est in symptomatum remotione et imminutione. Tertia tollit causam occasionalem. Quarta denique praedisponentem. Ad quae melius illustranda aegrotum, prolapsu laborantem depingam, sicut saepissime nobis se ostendit, et in quo omnes hae indicationes, tam quo ad numerum, quam seriem, exerceri debent. Fingamus infantem, cui vehementia tussis convulsivae intestinum rectum, ad procidentiam praedispositum, ex ano expulit; et qui, ob constrictionem et tumorem prolapsus, aluum per tempus non dimisit, quam

obstructionem nausea, vomituritio et abdominis inflatio cum conuulsionibus sequantur; huic certissime noceatur, nisi strictissime hanc curationem adhibeamus. Sed ad rem redibo, et id modo addam, illam seriem et numerum indicationum in plerisque tantum prolapsibus locum habere, et valde variare, respectu status, specierum, caussarum etc.

§. 26.

Repositionem primam indicationem esse modo dixi; sed ita, vt ne adsint res, quibus sit contraindicata. Non enim possum non dissentire ab iis, qui dicant, repositionem semper primam esse debere ⁶⁴⁾, cum

- a) Moles prolapsus saepe tanta sit, vt non solum tentamen nullius sit successus, sed etiam valde nociuum, cum illa moles, hac irritatione, augeatur.
- b) Si sanguinis emissio topica necessaria est; haec melius antea, vix postea institui potest; et si ob maximum in prolapsu sanguinis impetum febremque inflammatoriam venaesectio vniuersalis indicatur, haec anteire debet.

c)

⁶⁴⁾ DESSAULT l. c. p. 343. dicit: "*Dans tous les cas on tentera d'abord la réduction de l'intestin.*" — LANGIUS l. c. Pars. II. p. 29.

- c) Tenesmo etiam pertinaci contraindicatur repositio, quippe qui penitus eam impedit. In hoc casu eligi debet intervallum, a tenesmo liberum, nisi mox penitus tolli possit.
- d) Nonnumquam urinae retentio repositioni se opponit, quae antea catheteris ope tollenda est.
- e) Procidentia tunicae internae, seu totalis, seu partialis, paene nunquam reponitur, cum resectio, de qua, ubi speciatim de hac specie agetur, sermo erit, totum malum radicitus tollat.

§. 27.

Inflammatiо procidentiae, carentibus contraindicationibus, minuitur venaesectionibus uniuersalibus ⁶⁵); iisque institutis, topicis. Nec interest, quo loco fiat uniuersalis; topica vero ad intestinum prolapsum ipsum applicanda est; haeque venaesectiones optime fiunt hirudinibus ⁶⁶), aut scarificatione, caute instituta. Illico vero postea repositio in plerisque casibus male succedit; nisi antea vasa impetu humorum extensa et debilitata, fomentationibus frigidissimis e. g. solummodo
ex

⁶⁵) M. P** M. l. c. n. 670.

⁶⁶) DESSAULT l. c. p. 364.

ex aqua, saepe repetitis, constringantur et roborentur. Quod si caussae praecipue id agant, vt spastice constringatur anus; et si ob hanc constrictionem praecipue anus non redeat; fomentari debet tota regio antispasmodicis; vt decocto capitum papaueris albi cum seminibus, aut solutione extracti opii calidis. In plerisque casibus haec sufficiunt; collabitur intestinum; et repositio bene procedit; quod si vero non fit, et indicatio repositionis valde vrget, ani sphincter perscindendus est ⁶⁷). Gangraena superueniens separanda, et vt hernia gangraena effecta curanda ⁶⁸). Durante hac curatione, partes putridae gangraenosae separantur; et si iam repositus est, vna cum faecibus in cylindri forma, saepe vlnae longitudine, vt in dysenteria euacuantur ⁶⁹).

§. 28.

Si repositio ex modo dictis caussis statim institui nequit; obseruandus aegroto situs in ventre; aut in altero latere admodum tranquillus

⁶⁷) DESSAULT et CHOPART l. c. p. 346. aiunt: "*Si la reposition est impossible, et si les accident sont urgens, on incisera un coté du l'anús avec un bistouri boutonné dans le cas d'invagination, et avec un bistouri à pointe mousse dans les cas de renversement.*"

⁶⁸) M. P** M. l. c. p. 670.

quillus, ne fricetur pars prolapsa; paulloque ante repositionem vrina mittenda, et si tempus admittat, enema emolliens antispasmodicum dandum e. g. ex decocto florum chamomill. et oleo hyoscyami, tam ad euacanda stercora, quam ad mitigandas spasticas constrictiones.

§. 29.

Nec interest, quemnam obseruet situm aegrotus; modo anus semper summam partem occupet, et eiusmodi sit, vt per aliquot tempus sine molestia sic manere possit. Abstineat aegrotus, durante hac operatione, quantum fieri potest, ab omnibus conatibus et pressionibus circa anum; et totus prolapsus oleo inungendus est; ne digiti facile oleo liberentur ⁷⁰). Adiutor deinde nates duabus manibus a prolapsu remoueat, et chirurgus ipse manibus, oleo bene illinitis ⁷¹), repositionem tentet sic: sinistra cum manu complexum teneat intestinum, illudque totum leniter comprimatur, si pars reducta est; vbi dextra

⁶⁹) *Mercuré du France de Decembre 1745. Vol. I. pag. 3640.*

⁷⁰) Antiquiores chirurgici libri semper malam consuetudinem, qua adhuc nostris temporibus obstetrices vti vidi, laudant, qua reposito manibus circumuolutis linteo instituatur, quaque semper portio reducta, iterum vna cum digitis detrahatur.

⁷¹) JAEGER'S *Cautelen.*

tra occupata est, cum digito indice et medio partem intestini, ultimo ⁷²⁾ prolapsam; primo intus motu semicirculari studeat redigere ⁷³⁾. Peracta feliciter repositione, digitum indicem, oleo bene illinitum, immittat in anum, ut intelligat, num naturalem situm iterum acceperit intestinum; etenim si vno loco intestini pars accumulata est, aut intus-suscepta, immittenda gracilis virga flectibilis e. g. ex osse cetaceo, parua cum spongia, oleo imbuta, in extrema parte munita ⁷⁴⁾, ut extendatur ad naturalem formam intestinum, si hoc ope digiti, fieri nequit. Vinctura quae recidivam coerces, §. 35. de vincturis nominabitur; praeterea et illa impeditur extremitatum inferiorum cohibitione; vinculo in genuum regione adhibito ⁷⁵⁾; deinde summa tranquillitate et abstinentia, quantum fieri potest, ab omnibus conatibus. Quodsi vero alui

⁷²⁾ Consilium nonnullorum, partem primo clapsam semper initio reponendi, nequaquam laudandum.

⁷³⁾ LANGIUS l. c. Pars III. p. 29. §. 41. dicit in infantibus restitui ani prolapsam, percussione clunium cum manus vola.

⁷⁴⁾ MONRO l. c. HIPPOCRATES suadet prolapsam semper, ope spongiae mollis et madefactae reponere. Edit. HALLERI p. 120.

⁷⁵⁾ M. P** M. l. c. p. 669. — HIPPOCRATES edit c. p. 120. CELSUS *de medicina* Cap. XXX.

alui demittendae necessitas vrgeat, ipse aut alius, vinctura caute remota, digitum indicem ad vnum et medium ad alterum ani latus admoueat, et sic emittat faeces ⁷⁶). Si postea aegrotus sine vlllo auxilio ventrem exoneret; circulo paruissimo insidens id faciat, ne nates per longe ab ano remoueantur ⁷⁷).

§. 30.

Post repositionem *symptomata mitiganda, aut remouenda sunt*, de quorum curatione speciatim disserere hic non necesse est, cum illa melius in aliis scriptis legi possit; sat sit aliquid dixisse de frequentissimis, et primum de febre. Accedit prolapsui acuto saepissime febris inflammatoria aut gastrica. Inflammatoria praecipue observatur, si caussa sanguinea procidentiam effecit; et hoc casu sanguinis missionibus audacibus optime feбри et intestino consulitur post repositionem; sed et antea feliciter instituuntur, si ob maiorem sanguinis

⁷⁶) ALLEN l. c. Tom. II. p. 337. ad praecauendam recidivam suadet stando aluum exonerare. Quod si euacuatio ita caute, vt dixi, instituatur; superuacuum hoc consilium censeo; etsi non reiciendum credo, cum hoc modo anus non adeo extendatur, nisi forte hoc in situ pressio fortior sit. *Der engl. Kinderarzt.* p. 265.

⁷⁷) HIPPOCRATES edit c. p. 120.

guinis in intestinum prolapsum impetum, repositio peragi non potuit. Rarissime vero inflammatoriam sine complicatione videmus, cum fere semper gastrici quid admistum sit. Indoles febris plerumque gastrica est, et esse debet ex sequentibus argumentis: 1. Quia aegroti quidem adulti, procidentia affecti, fere semper vitiis in abdomine contentarum partium laborant. 2. Irritamenta, quae intestinum expellunt, eodem momento irritatione ad euolutionem colluuiei conducunt. 3. Si haec locum non habent, constrictione ipsa, si qua adest, aluus obstruitur; excrementa retenta in corruptionem abeunt, acescunt etc. et irritant. Vesica deinde vrinaria fere semper, si inflammatio vehemens est, ut omnes vicinae partes, cum ea afficitur ⁷⁸⁾; dysuria exinde oriens, sublata inflammatione intestini, evanescit, sed non prius ⁷⁹⁾. Quod si itaque symptoma hoc valde molestum sit; aqua

⁷⁸⁾ BERENGER l. c. p. 142.

⁷⁹⁾ HIPPOCRATES p. 119. hoc de dysuria monet: *“Vrinae stillicidium ex his incidit: Vesica ex intestino recto calescens, caliditate pituitam adducit, a pituita vero urinae stillicidium fit. Si quidem igitur una cum morbo sedetur; solet enim plerumque ita fieri, satis est; sin minus, medicamenta ad urinae stillicidium destinata, adhibenda.*

aqua catheteris ope euacuanda. Si ante, aut post repositionem emeticum indicatum est, illius adhibitio nequaquam prolapsu impeditur; modo sub vomituritione ipsa, prolapsus bene suffulciatur, aut si iam repositus est, nates arcte comprimantur. Purgantia si dare necesse est, sint mitissima, vt Decoctum tamarindorum; serum lactis tamarindinatum seu tartarisatum. Abstineat aegrotus a cibis duris; vtatur iusculis mucilaginosi, edat aut bibat lac ebutyratum seu acidum.

§. 31.

Reducto prolapsu, et sublatis symptomatibus, praecipue a procidentia dependentibus, de *remouendis caussis* cogitandum est; et quidem primum, de occasionalibus. Superuacuum autem mihi videtur, et contra libelli angustias, de his speciatim agere velle; quare sufficiat rem modo strinxisse.

I. *Caussae sanguineae.*

- a) *Haemorrhoides.* Hae vero cum praecipue ortum ex obstructionibus viscerum abdominalium, et exinde orta abdominis debilitate, et sanguinis accumulatione producantur; remediis, liberam et aequalem sanguinis circulationem, restituentibus, tollendae.

- b) *Anomalia fluxus menstrui* curatur sublatione caussarum, et deinde remediis, tempore fluxus menstrui, impetum sanguinis ad locum naturalem determinantibus, e. g. venaesectione vniuersali in inferioribus; seu topica in regione pubis et balneis vaporis.

II. *Mechanicae seu topicae.*

- a) *Ascarides.* Necantur optime decocto mercurii viui, enematibus applicato.
- b) *Fistulae* ad vlcerum formam redigendae, illaque vlcera aptis remediis sananda.
- c) *Effectus drasticorum* ad euacuandas faeces non satis mobiles redditae, minuuntur inuoluentibus; mucilaginosi; anodynis; vt solutione gummi arabici; seu decocto radicis althaeae interne, et enematibus corpori adductis; quibus postea addi possunt leniter resoluentia, et euoluta saburra, leniter purgantia, minime irritantia.
- d) Omnia denique *irritamenta*, *externe ano applicata*, in §. 10. nominata, prorsus abiicienda sunt, tam ad curandum praesentem prolapsum, quam etiam ad praecauendam recidiuam.

III. *Metastaticae*

Breuitas huius dissertationis non permittit has causas, quarum numerus ingens est, leuiter tantum enarrare; quare frequentissimam elegi, scilicet *metastasin materiae rheumaticae* ad intestina crassa, dysenteriae nomine notam. Remouetur haec causa, si purae sint primae viae, inuoluentibus anodynis; diaphoreticis; interno usu, et enematribus opii et gummi arabici.

IV. *Consensuales causae.*

Omnia irritamenta in vicinia intestinorum crassorum ani prolapsum per consensum mouere possunt; sic praecipue has partes infestat *calculi vesicae urinae irritatio*; quae siue remediis antispasmodicis, antiphlogisticis et situ tranquillimo; siue radicaliter, remediis, calculum resoluentibus, aut operatione tollitur.

V. *Nisus* denique omnes et *conatus*, vltimam classem constituentes, et in intestina crassa pressione agentes, quantum fieri potest, euitandi sunt; tussis conuulsiva in genere primum emetico; deinde anti-

spasmodicis roborantibus, vt nicotiana, hyoscyamo et cortice peruuiano curatur.

§. 32.

Extinctio vero *praedispositionis*, solummodo ab aetate prouenientis, impossibilis et superflua mihi videtur; superflua quidem in infantibus, ex rationibus in §. 23. adlatis; impossibilis vero in senibus ac pueris est; quippe cum in ambobus vel optima tonica has partes non tantum roborare possint, vt caussis occasionalibus resistant. In adultis debilitas totius corporis, qua infantibus similes fiunt, adaequatis roborantibus tollenda. Caussae vero his partibus laxitatem topice inducentes, maiorem postulant attentionem, cum illae tantum eruendis consuetudinibus, praedispositionem caussantibus, remediisque aptis curentur: sessione itaque diuturna in sella perforata; enematibus debilitantibus; balneis vaporis etc. abstinendum: ab alui vero fluxu; dysenteria; haemorrhoidibus item aegrotus liberandus, ascaridesque necandi. Paralysi, remotis caussis, remanente; succurritur enematibus et interno usu neruorum excitantium e. g. maro vero, summitatibus arnicae, et vesicatorio, seu moxa in regione ossis sacri adplicatis. Quo facto, intestinis roborandis prospiciendum; enematibus frigidis ex
sola

sola aqua, seu aqua cum aceto, seu aqua ferrariorum, seu denique ex infusis roborantibus leniter adstringentibus vtendum; qualia sunt ex cortice peruuiano, cum vino rubro infuso; praeterea infusa herbarum aromaticarum, iuncta cum leniter adstringentibus e.g. cum pauca aluminis dosi. Restant adhuc vulnera musculorum ani, quae haud facile, ob perpetuum humorum adfluxum, curam radicalem admittunt; quibus nisi curentur; vinctura prospiciendum.

§. 33.

Iam de illis *Speciebus* disseram quae *particularem curandi methodum* requirunt. Prolapsus cum omnibus membranis, et intussusceptio totius intestini praecipuam, praeter modo laudatam, curationem non admittunt. Procidentia vero membranae internae, siue partialis, siue totalis, siue intussusceptio sit, nisi remediis ante dictis tollatur, resectione radicitus curatur. Nec verisimilitudine abhorret, affirmare, reliquam intestini partem his in speciebus sanam esse et posse et fere semper esse; cum contra idem irritamentum, quod hanc procidentiam caussauit, et reliquas vna debeat expellere partes. In his speciebus

de operatione nihil timendum esse ⁸⁰⁾ ipse HIPPOCRATES testatur, qui tamen rem generaliter tractat, dicens: "*Rectum intestinum et secans et resecans, et consuens, et vrens, et putrefaciens, etsi grauissima haec esse videantur, nihil laeseris*" Quidam haemorrhagiam post excisionem valde timent, praecipue LEVRET, qui ex hac caussa ligaturam suadet ⁸¹⁾; quam non plane reiiciendam puto, nisi vbi totalis aut intussusceptus est; cum in his, si aegrotus aluum demittere vult, semper aperiri debeat. Antequam vero ligatura separanda est tunica interna intestini recti; ADELUNG multum sperat a minus se-
vero remedio, a fonticulis scilicet. Male vero, vt credo, concludit, hoc remedium analogice posse optimum vsum praestare, cum sine vlla externa violentia femoris caput acetabulo excidere videret; quod etsi optime, nec magno molimine repositum, iterum sponte expellebatur et solummodo fonticulis adhibitis, retinebatur. Tum dicit: siquis philosophari vellet, non inuentum iri forte nexum propriorem fonticuli cum acetabulo, et capite ossis femoris, quam cum prolapsu tunicae

⁸⁰⁾ HIPPOCRATES p. 123. — ADELUNG p. 28. *Ephem. Acad. N. C. cent. viij.* p. 373. — WINSLOW l. c.

⁸¹⁾ LEVRET l. c.

tunicae interioris intestini recti; sed in medicina potentius esse documentum vsum euidentem subtili ratiociniorum nexu. Non subtiliter vero philosophari necesse est, ad intelligendum, remedium, quod prolapsum, vt ita dicam femoris tollit, non et auferre debere prolapsum tunicae internae intestini recti. DESSAULT et CHOPART consilium dant in partiali petiolum, cum spiritu nitri aut butyro antimonii nonnumquam illiniendi; postea addunt: promptissimam esse excisionem; cum experientia doceat, haemorrhagiam numquam nociuam abire ⁸²). Semper itaque excisionem praeferam, nisi in partiali quidem, aegroti de operatione anxietas illam suadeat. Ante operationis diem DESSAULT et CHOPART suadent purgationes, sanguinis emissiones, enemata et diaetam seueram; quibus omnibus prorsus consentire nequeo: Purgationes enim et venaesectiones non indicatas, solummodo ob operationem tam parui momenti instituere, quisque dissuadebit; abstinencia vero a calefacientibus et flatulentis, vsusque potus, leniter refrigerantis, et aperientis, vt seri lactis; et enema solummodo ex emollientibus, in genere commendanda. Post operationem, si haemorrhagia se ostendat, ad vulnus applicanda

⁸²) DESSAULT et CHOPART l. c. p. 345.

canda leniter adstringentia; anus e. g. farciendus linteo carpto, spiritu vini madido, cui super imponitur compressio ex linteo cum T formi fascia firmanda ⁸³⁾; et adhibitis per tempus digestiuis, vltimo cicatrisantia vsurpanda. Num autem molestia prolapsus inueterati, habitualis, non inflammati, totalis sit minuenda, videbimus postea de vincturis agentes: an penitus tollenda sit, dubito; etsi caussae remoueri possunt. Vitet tantum aegrotus occasiones, quibus inflammari possit; praecipueque id curet, ne frictione patiatur. HIPPOCRATES ait: "*Quum sedes siue rectum intestinum exciderit; et si loco suo manere noluerit, sternutatorium medicamentum adponito, et hominem ad iram exacerbato.*" Hoc consilium sequi nequeo, cum omnes conatus nouam recidiuam moueant; et inflammationem producere possint. Ad debilitatem et atoniam harum partium remouendam si quid vnquam prodesse possit; plus faciunt adstringentia et roborantia in §. 32. nominata, quam eiusmodi concussus.

§. 23.

VINCTURAE omnes hucusque cognitae, duobus adhibentur in casibus.

a)

⁸³⁾ DESSAULT et CHOPART l. c. p. 345.

- a) statim post repositionem prolapsus inflammatus ad arcendam recidivam.
- b) Ad retinendum prolapsum habitualem, non inflammatum.

Praeterea id omnes spectant, ut, nisi ubi aliud exoneranda est, semper sine aegroti in commodo, earum ope, providentia retineatur.

§. 35.

Primo in casu simplicissima sufficit; cum aegrotus de malo euentu anxius, omnia faciet, quae a chirurgo mandantur; tranquillissimus itaque erit; abstinebit a conatibus; si alui exonerandae necessitas urgeat, ab alio facillime admotionem digitorum ad anum patietur; nisi ipse, durante exoneratione, recidivam impediat; praeterea prolapsus, tumore aliquo inflatus, post repositionem facilius in loco suo manet, ac si prorsus tumiditate careat. Huic consilio spongia ad anum firmata prorsus respondet. Haec firmatur optime adnexa ad ligamentum molle, veruntamen firmum; unum pollicem latum, cuius brachium posterius immutatum usque adcingulum abdominis latum adscendit; cum ante-

rior pars, duorum pollicum interuallo, inter anum et diuisionem relicto, diuergendo circa pudenda, eodem cingulo abdominali in anteriori fronte, duobus finibus insitiatur. Quae ipsa vinctura immutabilis tenetur, ligamentis duobus, humeros transcendentibus, in posteriore et anteriore parte, cingulo adnexis, et in pectore et regione suprascapulari, ligamento intercedente, cohaerentibus. Cingulus ipse in regione abdominis, fibula clauditur. Adnexa observatio docebit, huius vincturae, his in casibus, praestantiam usu atque experientia probari.

§. 36.

In altero casu vinctura multa complicatior esse debet, quippe pluribus vsibus comparata. Primum enim cum aegrotus eam ferat semper, nequaquam pressione molestiam inferre debet: deinde nulla corporis motione situs mutandus: denique pressio neque insignis sit, ne partes hae irritentur, et vt commodè ferri queat ab aegroto; neque etiam perexigua, qua ratione nil prosit. Quibus omnibus consulere studuerunt praecipue GOOCH ⁸⁴⁾, SURET ⁸⁵⁾, CAMPER

⁸⁴⁾ Loc. cit.

⁸⁵⁾ CAMPER l. c.

PER ⁸⁶⁾ et JUVILLE ⁸⁷⁾; sed quomodo, postea videbimus, vbi consilia aliorum recensuerimus.

§. 37.

Reliqua consilia fere omnia id spectant, vt applicetur fascia T formis; quae tamen nullo modo sufficit, cum motu corporis parvissimo relaxetur, et vltius agere nequeat. Applicanda scilicet ita est, vt hoc affectu laborans erectus intrare possit; si itaque corpus flectitur, corporis pars intra fasciam diminuitur; quo facto pressionem tolli necesse est. HIPPOCRATES iam in libro de fistulis eiusmodi quid suadet, dicens: "*Si vero amplius excidat, et non maneat intus, laterum mollitudines praecingito, et retrorsum fasciam ex cingulo submittito, et vbi sedem intro protrusisti, spongiam mollem aqua calida, in qua loti ramenta cocta sunt, imbutam imponito. Sed de aqua ipsa ad sedem affundito, spongiam vero exprimito, deinde fasciam, per media crura subextentam, circa umbilicum deligato.*"

D 2

§. 38.

⁸⁶⁾ ⁸⁷⁾ L. c.

§. 38.

Alii praecipue BLEGNY ⁸⁸⁾ suadent vesicam vrinariam suis in anum inferre, illamque aere extendere. Quod consilium etsi bonum est; tamen ob summam molestiam semper institui nequit. *Pessarium rotundum* ⁸⁹⁾, quod feminis praecipue commendant, id mali habet, quod ob maximam in ano pressionem, ab aegrotis non potest perferri, nec facile in anum immitti. Caetera, quae ad firmandas has partes autores monuerunt, fere redeunt ad fasciam T formem, exceptis iis, quae DESSAULT dicit, de firmando frustulo eboris coniformi cauo ad partem fasciae eam, quae cum ano in contactum venit. Hic conus non differt ab eo, quem describit JUVILLE, ubi pars convexa foraminulis ad flatuum transitum praedita, in anum immittitur. Qui conus num utiliter applicandus sit? postea videbimus, ubi de JUVILLE vinctura loquemur: coniunctus solummodo cum fascia T formi, ex antea de hac fascia dictis argumentis, prolapsum firmare nequit.

§. 39.

⁸⁸⁾ Zodiacus medico-gallus. p. 250.

⁸⁹⁾ HOFER *Lehrsätze des chirurgischen Verbands*.
Erlangen 1791. II. Thl. p. 384.

§. 39.

Vinctura GOOCH ⁹⁰⁾ constat cingulo ex chalybe, octodecim pollices longo; arcte coxas circumdante; corio molli circumuoluto; anteriore parte in cingulum coriaceum continuato, fibulaque munito. In medio posteriore adnexa est lata stria ex chalybe, quae quinque pollices recta ascendens, dorsum petit, et ad infima, curuo elastico petiolo, qui ad finem latior et bene pulmo munitus anum claudit. Quo in situ retinetur duabus striis coriaceis, humeros transcendentibus.

§. 40.

SURET, celeber Parisiis fabricator vincturarum herniosarum, nouam contra hoc affectum inuenit, qua CAMPER se deceptum dicit ⁹¹⁾. JUVILLE vincturae similis est, ab eaque differt hactenus:

a) Quod digitale eburnum vnum tantum habet foramen.

D 3

b)

⁹⁰⁾ *Descripta et icone expressa est in eius citato libro, in BELL l. c. et in HOFER über den Verband. II. Thl.*

⁹¹⁾ CAMPER l. c.

b) Elasticitas hic alio modo admota est; quippe cum posteriores duae striae coriaceae transcendant trochleas, cingulo abdominali adnexas, et elastico chalybe ita factas, vt corporis flexiones sequantur. Quodsi vero optimi vsus sit; tamen pretium quadraginta quatuor Librarum eam fere inutilem reddant.

§. 41.

CAMPER vero, cum nec hac, nec GOOCH vinctura multum proficeret, aliam excogitavit ⁹²⁾, quae cingulo eodem abdominali et quatuor fibulis consistit; duabus in anteriore, totidemque in posteriore parte, paucos pollices distantibus; quibus singulis adnectitur vna extremitas duarum striarum coriacearum, quae in ani regione cruciantur, ibique puluino muniuntur. Quam vincturam AUCTOR dicit, pluribus summo auxilio fuisse.

§. 42.

IUVILLEE vinctura ⁹³⁾ composita est ex cingulo abdominali lato, vt in braccis inferioribus;

⁹²⁾ CAMPER l. c. p. 96.

⁹³⁾ IUVILLE l. c. et HOFER l. c. II. Thl.

ribus; deinde loro femoris, (Beinriemen) quod in posteriore parte os sacrum transgressum, in regione perinaei in duas partes dividitur; in anteriore parte utroque latere cingulo inseritur. Pars vincturae, ano maxime contigua, digitali eburno munita, cuius in apice parua foramina patent; circumferentia non octo decemue lineas, altitudo vero non semipollicem superat. Digitale in regione vincturae, ano proxima, perpendiculariter firmatum destinatumque est, ut in anum se immittat. Tres extremitates lori femoris, cum cingulo abdominali cohaerentes, chalybe elastico cum pastino incidente (gallis soufflets) serico superductae atque munitae sunt, ut tota vinctura, secundum corporis motum, possit extendi. Elasticitas huius vincturae efficit, ut aegrotus omnibus negotiis fungi atque adeo sine incommodo equo vehi possit. Si aluum exonerare vult, posteriores partes demit, et cum facilitate remittit. Haec vinctura requisitis §. 36. recensitis, prorsus respondet; sed eodem, quo SURETI vinctura, vitio laborat; scilicet pretii caritate.

Nec tamen harum vincturarum vlla perfecta dici potest, propterea quod nulla descensum intestini, durante alui exoneratione, impedit. Ad vincturae perfectionem pertineat, vt

- a) Firmitatem non accipiat a fasciis corpori admotis.
- b) Facillime immittatur.
- c) Non solum agat vt trombus, quo procidentia impeditur, sed et extendat et suffulciat parietes intestini laxi.
- d) In orificii ani regione sit mollis, et extensibilis: vt faeces absque eius sublatione, emitti possint.
- e) Ita constituta sit, vt aegrotum nec molestia afficiat, nec irriter.

Ego quidem multa de eiusmodi vinctura cognitaui, nec vt arbitror frustra; quae ipsa tamen, nisi adiutus experientia, publici iuris facere non ausim.

OBSERVATIO.

Puella nouemdecim annos nata, inde ab iuuentute rachitide, a caussa arthritica, vt arbitror, profecta vexabatur. Materia hac totius corporis ossa ad formas praeternaturales mutata erant; praecipue articuli et thorax; corporisque incrementum ita impeditum, vt statura non trium pedum longitudinem superaret. Per quatuor iam annos ob debilitatem et artuum dolores incedere nequibat, nec vnquam mensium vestigium experta erat. In corpore hoc imbecillimo, mens sanissima erat. Ab iuuentute inde prolapsu ex ano totali, sed nunquam inflammato, laborauerat, qui facillime reducebatur. Cum primo eam viderem, inueni prolapsum totalem; vehementia inflammationis in colorem scarlati-

num mutatum, et ita tumefactum, vt ne ruga quidem distingui posset; magnitudo eius aequabat caput infantis ⁹⁴), cruciantibus doloribus coniunctum. Alui excretio adhuc libera erat; sed signa plura colluuiei biliosae, sursum turgescientis, concurrebant. Repositio ob prolapsus molem, et inflammationem statim institui nequibat; venaesectio vniuersalis, summa corporis debilitate, contraindicata erat; nec aderant hirudines, quae eodem die potuissent applicari. Itaque prolapsus fomentabatur tantum solutione extracti opii frigida, aquaque frigidissima, datoque emetico: vomituritiones biliosae summum praestabant leuamen.

Sequente die ambitus et inflammatio nec aucti nec multum minuti erant; constrictio vero ani creuerat; cui proposito calidum admo-

⁹⁴) Mirum sane hoc ita, vt Cl. STROMEYER adeo, Qui eo mecum accedere dignatus erat, eius magnitudinis prolapsus, in diuturna experientia se nunquam vidisse, fateretur.

admouebatur decoctum capiti papaueris albi cum seminibus, sed cum symptomatum deprauatione. Multum sanguinis post applicationem duodecim hirudinum e prolapsu effluebat; et fomentationibus ex aqua frigidissima saepe repetitis, collapsus intestini valde conspicuus erat. Repositionis negotium absque bono euentu tentabatur, et ob alui obstructionem serum lactis tartarisatum porrigebatur.

Postridie ita collapsus erat, ut altae rugae et forma cylindrica iterum distinguerentur; sed externa superficies in putredinem abibat, quae odore, colore liuido, et separatione lamellarum tunicae internae, intelligebatur. Pars prolapsus, ano proxima, ob duorum pollicum tumorem paene cartilagosum, pertinaciter repositioni resistebat, cum reliquum prolapsus facillime reduceretur; sed sublata pressione iterum descendebat. Quarto dein die desquamatione, ut ita dicam, aucta; colore mutato in

in albidum; odore putrediore reddito, nihil magis optabam, quam ut repositus esset, cum separatio partium putridarum melius post repositionem peragi posse mihi videretur. Sed conatus aegrotae in prolapsum similes illis in aluo demittenda, iidemque perpetui et cum tumore duro coniuncti, impossibilem repositionem reddebant. Urina saepe duodecim horas retinebatur, et aegra doloribus in abdomine anxiebatur. Interne semper utebatur sero lactis tartarisato; cum externe prolapsa pars, absque cessatione, aqua frigidissima fomentaretur.

Quinto tandem die repositione feliciter peracta, dolorum remissio sequebatur. Retinebatur vinctura cum spongia in §. 35. laudata, et enemata calida ex decocto auenae excorticatae applicabantur.

Sequentibus diebus enemata ex decocto auenae excorticatae, et capitem papaveris
albi

albi cum seminibus data, statim refluebant, cum verisimiliter ob tumorem alte satis ascendere nequirent. Vsa seri lactis et lactis ebutyrati libero, alui apertio sequebatur; faeces vero durae et nigrae erant. Enemata ex emollientibus relaxantibus commutabantur nunc cum leniter roborantibus adstringentibus; ex decocto corticis salicis; herbae salviae, scordii. Per quinque dies vna cum faecibus magna exibat puris copia et cylindri membranacei. Decimo quarto, ut credo die, dolor plane nullus supererat; nec de alia re conquerebatur quam pruritu lenissimo in ano. Tota curatio enematum roborantibus adstringentibus finiebatur; decocto frigido corticis peruiani cum alumine.

Per semestre sequens eam videndi occasio pluries mihi offerebatur, ubi neutiquam sane affectibus morboris libera erat; sed nunquam prolapsus recidiva apparebat, etsi fuerat habitualis; aegraque postea nulla amplius vinctura utebatur. Nec incredibile

bile est, nouam cohaerentiam propinquis cum partibus inflammatione esse ortam.

Conatus certe erat caussa occasionalis, cum primum, vt ipsa affirmabat, sine inflammatione propenderet; sed quid inflammationem excitauerit? constituere non auisim. Nec a verisimilitudine abhorret, causam inflammationis in frictione aut molimine menstruo positam fuisse. Molimen certe fluxus menstrui probat id, quod diebus antecedentibus dolores lumborum senserat; numquam menstruata fuerat; aliaeque caussae aberant, quae id efficere possent.

T h e s e s.

I.

Circularis orificii uterini forma certum signum graviditatis praebet.

II.

Non datur nec scirrhi nec canceri venenum specificum.

III.

Liquor amnii foetus nutritioni inseruit.

IV.

Bonum esset, si obstetrices de morbis mulierum cognitionem haberent.

V.

Prolapsus intestini ex ano cum omnibus tunicis negari nequit.

VI.

Suppressio exanthematis saepius est effectus quam causa morbi.

VII.

VII.

Emissio liquoris amnii disruptione tunicarum, foetum circumdantium, nunquam nisi urgente necessitate, instituenda.

VIII.

Nullus medicus practicus arte chirurgica carere potest.

IX.

Placentae solutio non semper suscipienda, sed potissimum naturae viribus relinquenda est nisi necessitas solutionem postulet.

X.

Obstetrices, caeteris paribus, ad partum adiuuandum magis idoneae quam viri obstetricantes.

XI.

Medicamentum quo simplicius eo praestantius.
